

Quaestio theologica.

cf II 383!

Quis est fons patens domui David et habitantibus Hierusalem in
absolutionem? Zach. 13.

Christus, de cuius plenitudine omnes accepimus, perfectus Deus
perfectus homo constans anima rationali et humana carne, quae prius
natura in verbo quam ipsa humanitas uniuntur, ante omnia saecula a
Patre totius divinitatis fonte veré et proprié ex comprehensiva es-
sentiae, personarum, creaturarum sive futurarum sive possibilium cog-
nitione genitus (licet ista generatio verae et germanae actionis na-
turam non habeat) consubstantialis patri, coaequalis illiusque ex vi
processionis exquisitissima imago, quod Spiritui Sancto ab utroque
tanquam ab uno principio procedenti, et quo personae ipsae mutuo se
diligunt, non competit, sed nomen et ratio doni, non quidem perso-
narum spirantium sed creaturarum inopum respectu, quibus ab illis
necessario donatur.

Christus ut homo in plenitudine temporis, quando ablatum est
sceptrum de Iuda et dux de foemore eius, ex purissimis beatissimae
Virginis sanguinibus, illam obumbrante Spiritu Sancto, fuit effor-
matus; quae ut ad tantam matris Dei dignitatem excellentius evehere-
tur, quam ex congruo meruit, licet de condigno mereri potuisset; in
instanti suae conceptionis ab omni peccato praeservata usuque ratio-
nis ita fuit praedita, ut quolibet vitae suae momento omnibusque et
singulis actionibus gratiae sibi a Deo collatae perfecte responde-
rit. Ad eam autem Christus verus et germanus illius, non autem spi-
ritus sancti filius, nullo modo per relationem qua ad patrem refer-
tur, sed per distinctam, omnino tamen simile ei qua filius in huma-
nis matrem respicit; nec enim minus ab ipsa virgine quam alium a ma-
tre accepisse certum est.

Mediator Dei et hominum homo Christus Iesus utramque naturam di-
vinam scilicet et humanam complectens ideoque infinitae satisfactio-
nis et infiniti meriti capax, quod in ipsum incarnationis mysterium
etiam cadere potuisset, ut universum genus humanum in peccati fove-
am, quam Adam sibi suisque fecerat, prolapsus erigeret, et quae non
rapuerat ad iustitiae rigorem exsolveret, dixit multa, gessit mira,
pertulit dura, imo et indigna, licet unicus illius actus ad redempti-
onem et ad quodvis aliud possibile praemium sufficientissimus exti-
tisset. Et quamvis ab initio conceptionis donatus fuerit beatitudine
et impeccabilitate, quae illi ex vi solius unionis hypostaticae
(quam creatura elevata praestare posset) non conveniunt, libertatem
tamen cum respectu substantiae redemptionis tum circumstantiarum ei-

usdem perfecte retinuit.

Gratia, praecipuus rivus ab isto perenni divinoque fonte abunde manans et unicum in ablutionem peccatoris et menstruatae remedium, sic describitur, donum naturae superadditum et gratis per merita Christi angelis et hominibus ad recte operandum collatum; cuius tanta est necessitas, ut aliter peccata ne quidem per potentiam extraordinariam remitti possint, nec actiones vitae aeternae meritoriae per illam tantum facilius exercentur; in quo deceptus est Pelagius, cum ad illas simpliciter desideretur, nec absque ea homines (appetitu naturali innato vel elicitio, quantumvis imperfecto) in Deum tanquam in finem supranaturalem feruntur, nec in illa conferenda alicuius actus humani praecedentis sive fidei naturaliter pii (quod semipelagianum est) Deus rationem habet, sicut nec ullius dispositionis mere naturalis, sed suae tantummodo innatae misericordiae impulsu commovetur.

Gratia dividitur in praevenientem, cooperantem et iustificantem. Praeueniens est gratuita intellectus illuminatio et pia motio voluntatis, quibus homo ad bonum invitatur: quae duo in anima ante liberum consensum, non tamen absque aliquo facultatum consensu Deus efficit. Cooperans, qua Deus nobiscum in actum influit. Iustificans, qua vera iustitia et sanctitas acquiritur, quae tantae est virtutis ut actus conversionis illa affectus vitae aeternae de condigno sit meritorius. Inter hanc autem et praevenientem illud interest, quod ipsa in solis iustis, praeueniens vero quatenus sufficiens cuilibet peccatori conferatur, ita ut perditio illius ex eo sit: potestque contingere ut ex duobus praeveniente gratia secundum entitatem et motionem prorsus eandem iisdemque conditionibus naturalibus effectis, licet in ratione beneficii inaequalis gratia semper esse debeat, unus convertatur, alter vero minimé, quicumque tamen quod in se est naturale vel supernaturale praestat, à Deo se misericorditer consecuturum auxilium efficax certo sperare debet.

Deum creatorem non sic cum pelagianis extollimus, ut redemptorem minus necessarium arbitremur, nec é contrario sic illum inhonoramus, ut naturam cum Manichaeis et huiusce temporis haereticis mali tantummodo capacem affirmemus: imo vero profiteamur, illa duce, posse nos veritates naturales tam speculativas quam practicas cognoscere, bonum morale peragere, tentationes aliquas vincere, peccata plurima fugere, Deum naturae auctorem diligere illiusque dilectionem multis rebus, non tamen omnibus, anteferre; ad hoc enim est necessariam gratia Christi, qua licet peccator iustificetur, attamen ut in tentationibus vincendis Deoque super omnia diligendo iu-

giter perseveret, novo praeter eam auxilio supernaturali sub merita nostrarum operationum etsi perfecte meritoriarum non cadente, indiget, in quibus si constantes fuerimus, vitam aeternam, quae tanquam haereditas filiis et tanquam merces bene operantibus redditur, non titulo fidelitatis solum, sed iustitiae commutativae et distributivae, Deo formaliter convenientis sumus consecuturi: à cuius etiam consecutione proportionata similiter non excidemus, si merita omnia per peccatum mortificata, prima quacunque valida subsequente poenitentia, quae ad maiorem gratiam peccatorem semper facit resurgere, ante mortem recuperemus.

Christus filius Dei naturalis non adoptivus etiam humanae naturae intuitu, quamvis praedestinatorum omnium angelorum hominumque caput, exemplar et causa meritoria sit, non tamen nisi improprie praedestinatus dici potest, ut cunctorum hominum vere et proprie redemptior esset, omnibus et singulis obtulit media, quibus, si uti voluerint, salutem assequuntur, quam veritatem et hominis libertatem et gratiae sufficientiam ac Dei omnipotentis sanctissimam innocentiam atque beatitudinem tanquam mercedem et iustitiam inculpabilem, quae in castigandis improbis iustisque remunerandis maxime elucet, ut defendamus, omnem praedeterminationem sive physicam sive moralem strictè consideratam longe atque necessario eliminandam certissime tenemus. Non tamen sicut illas praedeterminationes, ita et praedefinitiones reiicimus, quas et possibles esse, et de facto bonorum operum dari, etiam ante absolutam effectuum liberorum praevisionem affirmamus.

Gratia efficax in entitate a sufficienti non differens, sic agit sensum ut accommodet assensum, non autem destruat, illiusque efficacia in ipsius gratiae perfectione, intrinseca eiusdem congruentia et tali contemperatione cum voluntate consistit, ex qua ut consensus infallibiliter futurus sit, nullumque facultati liberae praeiudicium afferatur, atque à Deo omnis confusa imperfectaque cognitio removeatur, scientiam mediam statuimus, cuius beneficio Deus effectus liberos sive absolute sive cum conditione futuros cognoscit; quorum veritatem nec per determinationem suae voluntatis, nec per ideas, nec per coexistentiam aeternitatis, nec in causis secundis, sed in ipsis effectibus mirabili sui intellectus altitudine penetrat, quin nulli mutationi obnoxius, ante decretum divinae voluntatis nihil futuri potest apprehendere, praeter quem et voluntatem ut aliquid fiat, adhuc potentiam immediatius operandi principium requirimus.

Gratiae efficaci praedestinationis effectui atque instrumento

praecipuo voluntas etiam actu omnium intensissimo per illam mota et excitata quippe intrinsece libera, sicut et intellectui, qui nullo modo liber est, eiusque practico iudicio potest resistere: praedestinationis autem ex parte nostri nec causa, nec ratio, nec motivum aliquod nec conditio dari potest; reprobationis vero non item, cum Deus Opt. Max. prius affectu proprio et reali omnes homines salvos facere, quam aliquos reprobare voluerit, unde quia peccatores praesciti sunt casuri (non obstantibus auxiliis ipsis propositis) non sunt praedestinati; essent autem praedestinati, si essent reversuri et in sanctitate ac veritate mansuri. Quod autem uni ex duobus aequae dignis vel indignis Deus deneget auxilium quod alteri offerat et conferat, in quo consistit altius praedestinationis mysterium, nulla quidem causa extra Dei voluntatem iustissimam assignari potest. Qua efficace gratia qui exornatus fuerit, aliter quam in Domino non gloriatur, illique gratias agens dicat: Tu es fons patens domui David et habitantibus Hierusalem in ablutionem.

Has theses Deo favente defensurus sedebit Stephanus Louytre Carnotensis Meduntanus Socius Sorbonicus, cathedralis ecclesiae Nannetensis Decanus, in interioribus Sorbonae scholis toto die veneris 22 Septembris anno Domini 1606.

Pro duodecima Sorbonica

Rome, Biblioth. Vitt. Emman. Ms. 2807 Gesuit. 678